

catur signata, quæ actu certa quantitati sive certis dimensionibus substat? an verò illa, quæ potentiam proximam ad certam ac determinatam quantitatem habet? Prius adferunt Paulus Soncinas q. 34. Franciscus Ferrariensis I. contra gentes cap. 21. & Capreolus l. cit. Alteri verò explicationi verborum Thomæ insistent Caietanus de ente & Essentia c. 11. quest. 5. Chrysostomus Iavellus V. Metaph. q. XV. & si qui plures.

§. 13. Sed miror, quod Viri docti reperti fuerint, qui nodum in scirpò quærentes, de mente Thomæ ullam moverint dubitationem, cum alibi satis clarè significet, quod de materia signata, non posteriori, sed priori modo explicata, fuerit locutus. Posteriores itaque explicationem, quippe quæ neque cum mente Thomæ neque cum veritate ullam habet convenientiam prius refutabimus.

§. 14. Sic autem assertio erit talis: *Materia, quatenus habet potentiam proximam ad recipiendam certam dimensionem, est principi-*